ribus favorem tuum contestari etiam imposterum. Vide *Prov.* IV, 13. apprehende castigationem, nec תֶּרֶף *deseras*. Huc illud *Jos.* I, 5. non אַרְפְּךָ neque derelinquam te: *Cant.* III, 4. apprehendi ipsum nec אַרְפֶּנּוּ *Jos.* X, 6. תֶּרֶף manus tuas à servis tuis. *Deut.* IV, 31. XXXI, 6. 8. 1. *Par.* XXVIII, 20. non יַרְפְּךָ neque perdet aut derelinquet te. Confer *Philipp.* I, 6. fidelis est Deus &c.

A *pisse relationes novas ex regionibus aliis, sed hilari etiam devotóque animô, bonorum omnium datorem extollere* canticis *sonoris propter beneficia tam corporalia, quàm præcipuè spiritualia, & nobis & aliis collata, &c. id quod Magnates apprimè decet.*

(2) *Incedendum* per Vias *à Deô præscriptas, ne vel in excessu vel defectu aberremus, &c.*

(3) *De* Gloriâ *ac majestate Dei immensâ in L. de* Deô.

USUS PRACTICUS E VERSU I.

(1) *De* laude Dei *præc. II.*

[2] *Quicquid agimus in cultu Dei, fieri debet* totô corde, *absque hypocrisi, adhibitis sine fucô vel socordiâ universis viribus nostris:* Jes. XXIX, 13. Matth. XV, 8. Psal. CXI, 1. vid. præc. I.

(3) *Quæ Dei concernunt gloriam,* coram magnatibus *præferenda animose. Huc* Martyrium, *præc. II. Conf.* Psal. CVII, 32.

USUS E VERSU II.

[1] *De* Adoratione Dei *vid. præc. I. & II.*

(2) Templi *antiqui* sanctitas, *ejusdemque in N. T. cessatio, tractatur* præc. III. *conf.* Joh. IV, 23. 1. Tim. II, 8. Mal. I, 11.

[3] *De* gratiâ, veritate, magnificisque Dei promissis *& eloquiis in L. de* Deô & Evangeliô. *Conf.* Psal. LVII, 10. CVIII, 6.

USUS E VERSU III.

(1) *De* Invocatione & Exauditione, *in L. de* precibus & præc. II.

(2) *Deus est, qui* corroborat nos, *& animô & corpore, concedit valetudinem, facit animosos, &c: Vana enim omnis generositas absque Deô.*

[3] *Licet* Exauditio *non sentiatur ipsô* precum die, *facta tamen est omninò*: Luc. I, 13. Dan. X, 12. Jes. LXV, 24.

USUS E VERSU IV.

(1) *De jure* omnes *omninò* terræ reges Deum celebrant, *licet non de facto.*

(2) Regum *fit mentio, quia hi præ reliquis affecti sunt à Deô immensis beneficiis: imò minime omnium fermè hoc suum attendunt debitum. Conf.* Psalm. II, 10. XXIV, 9.

[3] *Latet hic futura gentium vocatio ad ecclesiam, quando* reges *unà cum regnis suis* audient verba oris divini, *apostolis sc. per orbem id promulgantibus.* Coloss. I, 23.

(4) *De* auditu verbi div. *vid.* præc. III. *conf.* Rom. X, 15. seqq.

USUS E VERSU V.

(1) Cantare in viis Domini *est non solum perce-*

B

(2) *Incedendum* per Vias *à Deô præscriptas, ne vel in excessu vel defectu aberremus, &c.*

(3) *De* Gloriâ *ac majestate Dei immensâ in L. de* Deô.

USUS E VERSU VI.

[1] Excelsitas Dei, *omnes longissimè superans creaturas, venerationem à nobis exigit mereturque humillimam & indefessam.*

(2) *Deus* humilem respiciens, *excitat meritò ad studium humilitatis, humilesque reddit confidentes, dum de Dei* Providentiâ *redduntur certi. Imò quivis in eminentiâ constituti, Deum imitantur,* respiciendo humiles: Sirac. III, 19. seqq.

(3) Fastum *detestatur Dominus:* Sir. X, 16. Ezech. XXI, 26. 1. Pet. V, 5. *vide* præc. I. de Superbiâ.

(4) *Deus* novit *omnia omnesque, tum ut præmiet defendatque, tum ut puniat. L. de* Provid. *Est etiam* ἀπροσωπολήπτης Act. X, 34.

(5) *Ne Deum à te* procul abesse *opineris. Conf.* Jes. LXVI, 2.

USUS E VERSU VII.

(1) *Piis non rarò* incedendum in mediis angustiis: *L. de Cruce.*

(2) *Deus est, qui* vitam *contedit, concessam conservat, vitæ adversantia eliminat, &c. Eidem igitur semper committendus spiritus noster:* Psal. XXXI, 6.

(3) Hostes *piorum, & visibiles & invisibiles, sentient* divinam manum *rigidè plectentem.*

(4) Iram hostium *ridet Deus, rident eandem in Deo & pii:* Psal. II, 4. CXVIII, 6.

(5) Dextra Dei salutem *præstat optimam: huic nos committamus totos.* Psal. CXVIII, 16. seqq. *confirmati tot pristinis experimentis*: 1. Sam. XVII, 34. &c. Psal. LXXI, 5. 17. 2. Tim. IV, 17. &c.

USUS E VERSU VIII.

[1] *Deus est, qui bonum & inchoat, &* consummat: Phil. I, 6. 1. Thess. V, 24. 1. Cor. I, 8. X, 13. 1. Pet. V, 10.

C

(2) Cinguntur pii undique *perfecto Dei munimento:* Ps. III, 4. XXXII, 11. CXXXIX, 3. Zach. II, 5.

[3] *Dei* Gratia *non est ambulatoria aut facilè evanescens, sed* æterna. Joh. XIII, 1. Psal. XXIII, 5. *L. de* Deô.

(4) *Non* deserit *hominem Deus, nisi deseratur prius ab homine.*

(5) *Beneficia Dei sunt* ἀμεταμέλητα. Rom. XI, 29. *Oranduin nihilominus pro horum continuatione.*

PSALMI CXXXIX. DISPOSITIO.

Scis cuncta, ubique Conditor. Providentia Dei.

HAbetur hîc I. omnipræsentia Dei omniscii meditatio: (1) *exploras me:* (2) *nosti me;* v. 1. & quidem *sedentem, surgentem, meditantem,* v. 2. *ambulantem, cubantem, negotiantem,* v. 3. *loquentem,* quoad verborum singulorum syllabas, v. 4. (3) *ambis, attendis,* v. 3. *ante & retro cingis:* (4) *manum tuam super me extendis:* v. 5. (Inspergitur hîc Meditationum harum singularis præcellentia, v. 6.) (5) *nuspiam te possum effugere:* v. 7. *nec in cœlis, nec in inferis:* v. 8. *nec in mari extremô:* v. 9. 10. *nec in tenebris:* v. 11. 12.

II. Mirandæ efformationis sui celebratio: